

simili modo, qui vult probare dispositionem dilectionis, tangat et probet hominem in adversitate, quia certior est probatio. Nam, teste S. Chrysologo: «Vernus amor non nisi passionibus probatur.» Lib. III, c. LXVIII.

DUBIUM XIX.

De eadem.

Cum audivisset Philothea a concionatore quopiam, eodem vultu tribulationes esse accipiendas, quo gloria celestis olim accipietur, imaginari sibi non poterat, quomodo hoc possibile sit, quapropter explicari sibi id clarius petit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, non solum non impossibile id esse, sed fieri etiam oportet si secundum rationis dictamen operari velimus, quia eodem vultu finis et media sunt amplectenda; atqui finis est gloria celestis, medium autem a Deo ordinatum calix seu tribulationes (oportet enim hos omnes per tribulationes introire in Regnum Dei) ergo sicut in gloria olim, ita nunc, cum S. Paulo, superabundare debemus gaudio in omni tribulatione nostra. Hinc et Thomas Kempensis dixit: «Perfectionem consistere in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divine; non quaerendo quæ tua sunt nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in aeternitate. Ita ut una equali facie, in gratiarum actione permanes, inter prospera et contraria omnia æqua lance pensando.» THOMAS KEMP. I. III, c. XXV.

Quod ipsum ulterius sequenti discursu probari potest. Totâ asperitas crucis consistit in eo, quod animus repugnet illis, quæ nobis aspera videntur; atqui hanc asperitatem Christus sua gratia, infusa charitate, exemplo, beneficiis, promissis, et pro meritis sustulit, ita ut, teste Apostolo: «Sicut abundant Passiones Christi in nobis; ita et per Christum abundet consolatio nostra.» S. PAUL. II Cor. c. I.

Hinc S. Augustinus: «Quam suave mihi subito factum!» Et: «Mansuefecisti jugo tuo cervicem meam, et nunc porto illud, et leve est mihi, quoniam sic permisisti, et fecisti. Et vere sic erat, et nesciebam, quando id

subire metuebam.» S. AUG. I. IX. Conf. c. 1, et I. X, c. XXXVIII.

DUBIUM XX.

De eadem.

Iterum audiens Philothea, eum, qui modicas fugit adversitates, incidere in majores, dubitat vehementer de dicti hujus veritate, cum experientiæ quotidianæ adversari videatur, atque ideo solutionem ab Asceta petit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, rationem hujus dicti esse, quia ejusmodi homo privat se virtute et gratia, quæ omnem, aut certe potius difficultatis laborem tollunt. Unde ex defectu illarum merito adversa, quibus carere in hac vita non possumus, difficiliora accidunt, ita ut et ipse cum impiis fateri cogatur: «Lassati sumus in via iniquitatis, et virtutis nullum signum volumus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Sieque, dum timent pruinam, irruit super eos nix.» Merito ergo S. Paulus precatur, ut det vobis secundum divitiarum gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum in interiori homine.

DUBIUM XXI.

De eadem.

Alias audiens dicentem quemdam: Non quesitas cruce esse magis exquisitas; non poterat sensum hujus doctrinæ assequi, quare eundem sibi ab Asceta explicari desiderat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, id triplicem ob causam dici merito posse. 1. Quia prius hominem Deo subjiciunt. 2. Quia certius voluntatem divinam manifestant, eo quod in illis voluntas propria non inveniatur, atque adeo locum non habeat illa Dei apud Aggæum exprobratio: «Quare jejunavimus, et non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, et nescivisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.» AGG. c. I.

3. Quia propter obedientiam majoris sunt meriti; melior enim est obedientia quam victimæ; «et majoris meriti est injuncta charitatis reffectio. Qui enim jussus carnem, reficit, invitus jejunii præmium devotione promeruit, et ampliorem mercedem obedientiæ manducando acquisivit.»

DUBIUM XXII.

De eadem.

Alio tempore intellexit a Confessario suo Philothea, crucem quidem interdum a corpore, nunquam vero ab animo deponendam esse; sed quia difficile videbatur sub perpetua cruce sine intermissione spirare, dubitat, an merito hoc ab homine exigi queat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, jure meritissimo hoc exigi, quia crux duplex est poenitentia, exterior dolor corporis castigati, et interior dolor animi de peccato commisso; potest ergo contingere, ut castigatio corporis omitti debeat, ob justum impedimentum, et majus bonum; dolor tamen de peccato nunquam omitti debet, cum Salomon moneat: «de propitiatio peccato noli esse sine meta.» ECCL. c. v.

Et S. David: «Peccatum meum contra me est semper.» PSALM. L.

Et S. Aug. «Nunquam credat sufficere semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat; dolorem cum vita finiat; ubi dolor finitur, deficit poenitentia; ubi deficit poenitentia, ibi et venia. Vade, etiam noli peccare, hoc est, poenitere. Hinc ergo semper doleat, et de dolore gaudeat, et non semper doluisse doleat. O quale gaudium dicere posse cum David: Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus!» S. AUG. *de vera et falsa Rel.* c. XIII.

DE DUBIIS AD VIAM UNITIVAM PERTINENTIBUS.

DUBIUM I.

De Devotione.

Cum aliquando legisset Philothea memorabilem sententiam: Nisi cor, lingua, et

manus ad devotionem conspirent, ipsa experirabit devotio; assequi non poterat quomodo non devotio etiam interior sine opere datur.

Quare dubium sibi hoc solvi petit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, proprium esse effectum devotionis, nos totos Deo devovere, nam, ut S. Th. ait: Devotio a devovendo dicitur. S. THOMAS II, II, quæst. LXXXI, art. 4.

Unde devoti dicuntur, qui se ipsos quodammodo devovunt Deo, vel ei totaliter subdunt, propter quod et olim Gentiles devoti dicebantur, qui se ipsos Idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus; sicut de duobus Decis Livius narrat. Unde devotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quadam prompte se tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; sicut dicitur, quod multitudo Filiorum Israel obtulit mente promptissima, atque devota primitias Domino. EXOD. c. XXXV.

Atqui hunc effectum non producet, nisi cor, lingua et manus conspirent, ut S. Thomas loc. cit. pulchre his verbis ostendit. Cum devotio sit actus voluntatis hominis se ipsum offerentis Deo ad ei serviendum, qui est ultimus finis, consequens est, quod devotio imponat modum humanis actibus, sive sint ipsius voluntatis circa ea, quæ sunt ad finem, sive etiam sint aliarum potentiarum. Unde in Hymno de Ven. Sacramento composito postea cecinit: «Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces et opera.» Confirmans id ipsum S. Bern. ait: «Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed justus forsân ipsa sibi queratur gratia deesse nonnullis.» S. BERN. v, *de Tripl. Custod.*

Nempe res cordis est gratia devotionis ista quam quaerimus, et hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterum unde illi cura cordis, cui ne ipsa quidem adhuc oris circumspectio, seu manus custodia subest? Non sibi deesse miretur consumptionem, qui nec initium apprehendit. Sed ne is quidem initium tenere jam videtur, si ad medium non pervenit. Implendum ergo id, quod dicitur: «Det vobis cor omnibus, ut colatis eum; et faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti.» II MACH. v. v. 2. uti preclare Abraham in oblatione filii fecit, et in descensu in Ægyptum, de quo

S. Ambr. sic loquitur : Magnum exemplum devotionis Abrahæ, quod cum uxore speciosa descendit in Ægyptum. Erat quidem iusto viro cura conjugalis pudicitia, sed majus erat studium maturandæ devotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cœlestibus. Itaque, quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit a Deo multiplicata omnia. Et postea : Adverte immolantis studium maturum atque festivum, ut mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde, ut sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susceperet, et Sacrificio necessaria obtineret. Unde merito notant aliqui, vix ullam esse virtutem, in qua magis decipiantur homines, quam veram devotionem. Non est, quod putant, multum orare, multum affici, multa scire de divinis, vel multa de his loqui, sed hoc unum vel maxime, « totum esse Dei, totum corde, lingua et manu ; » quod quia nisi recte meditando non comparatur, paucique sunt, qui non modo vere sint devoti, sed quid sit esse devotum vix sciunt. Id quod S. Th. pulchre iterum sequentibus verbis confirmat : Dictum est enim, quod devotio est quidam actus voluntatis ad hoc, quod homo se prompte tradat ad divinum obsequium, omnis autem actus ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectus, est bonum voluntatis. Et ideo necesse est, quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concepit, quod se tradat divino obsequio. « Itaque subditus esto Deo, et ora eum. Sed et dic animæ : Nonne Deo subjecta erit anima mea ? » Et pro solatio nota illud S. Augustini super hunc locum : « Quantumcumque accedam, quantumcumque ascendam, quantumcumque transiliam, sub Deo ero, et non contra Deum. Securus ergo transcendendo cætera, quando ille me sub me tenet, qui est super omnia. »

DUBIUM II.

De eadem.

Dicebat quondam exhortator quidam, devotionem perinde ut gratiam nescire tarda molimina ; cuius dieti geminum sensum cum assequi satis non posset Philothea eumdem sini ab Asceta, explicari cupit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, causam hujus dicti esse, quia gratia ideo nescit tarda molimina, quod impellat ad divinam voluntatem faciendam, quæ non cunctanter, sed prompte adimplenda est ; atque hic idem finis est etiam devotionis, ut indicat S. Thomas, probans devotionem esse actum Religionis ex eo, quod ad eandem virtutem pertineat velle facere aliquid, et promptam voluntatem habere ad illud faciendum, quia utriusque actus est idem objectum. Manifestum est autem, quod operari ea, quæ pertinent ad divinum cultum, pertinet ad Religionem, unde etiam ad eandem pertinet habere voluntatem promptam ad hujusmodi exequenda, quod est esse devotum. S. Th. II. c.

Unde S. Bern. « Velociter currit sermo Dei, et velocem desiderat habere sequentem ; vides cum quanta velocitate currit ille, qui dicit : Viam mandatorum tuorum cucurri ! Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum velociter præcipientem, et hominem festinanter obedientem : Zachæe, inquit, festinus descende, quia hodie etc., et festinanter descendit, et excepit illum gaudens. Nonne legisti, quod filius Israel præcipitur, ut agnum comedant festinanter ? Quare verba illa, quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummandæ. S. BERNARD. in Ps. VIII. 12.

Hinc et S. Ambrosius ait : Consideremus, cuiusmodi in eo viro fuerit devotio. Ea enim usus ordine prima est, quæ est, fundamentum cæterorum, meritoque hæc ab eo primam exegit Deus dicens : « Exi de terra etc. » S. AMBROS. I. I. de Abrah.

Porro duas causas devotionis assignat S. Thomas, unam quidem, quæ ex parte bonitatis et beneficii ipsius se tenet, secundum Ps. 72. *Mihi autem adharere etc.*, et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa ; aliam vero ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur ; et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam quis impeditur, ne se Deo subjiciat :

SOLUTIO.

« Quid ergo retardatis adhuc ? Et quid dicitis in his ? Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, in omnibus operibus tuis esto velox. » S. THOMAS.

DUBIUM III.

De eadem.

Cum idem exhortator dixisset præter alia, devotionem esse invariabilem, dubitat non immerito Philothea de veritate hujus dicti, eo quod meminisset, se in Libello de Imitatione Christi legisse : Non possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deservit. Etiam pro temporis congruentia diversa placent exercitia, quia alia in Festis, alia in feriatis magis sapiunt diebus. Alia cum tristatur, libet cogitare, et alia cum læti in Domino fuerimus. THOM. KEMP. I. I. c. XIX.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, verissimum esse hoc axioma quia vera devotio, ut supra dictum est, voluntas prompta est ad faciendam voluntatem divinam. Atqui hæc semper eadem est, ut bene etiam Seneca ostendit, dicens : « Sapiens malis non premitur, sed utitur. » Novit in adversis æque ac secundis suam explicare virtutem. Non ex ebore tantum Phidias faciebat simulacra, sed etiam ære. Si marmor illi, si materiam vilioiorem quis obtulisset, fecisset, quale ex illa fieri optimum posset. Sic sapiens, si licebit, virtutem in divitiis explicabit ; sin minus in paupertate. Si poterit in patria ; sin minus in exilio. Si poterit, Imperator ; sin minus miles. Si poterit integer ; sin minus debilis.

DUBIUM IV.

De eadem.

Inter alia motiva ad devotionem exeitantia, etiam illud solet adhiberi, quod *qui cito dat, bis dat*. Hoc cum capere non posset Philothea, ideoque melius declarari desideraret.

Respondit Asceta, et in primis supponit hoc loco, per cito dare, nihil aliud intelligi, quam cum magna devotione, hilaritate et celeritate sua munera et actiones peragere. Hoc supposito, tales bis dare sic ostendit 1.

Propter perfectiorem intentionem ; ad quam rem explicandam serviet doctrina quorundam Theologorum, decentium, quod Christus libere omnia fecerit, propter intentionem, quam habebat, efficacem, omnia opera præcepta æque, ac si non præcepta fuissent. Dedit ergo bis, quia fecit ex præcepto et ex libertate. Similiter ergo modo verus Religiosus, etsi imperium Superioris adsit, tamen ita facit, ut si non esset intimum, tamen facere vellet, memor, quod S. Benedictus nuntiari jussit monacho : « Si verus servus Dei es, non catenis alligandus es, sed vinculis charitatis ; » de quibus Deus Oseea : « In vinculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis. » De his Christus : « Ego, cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. »

Hæc vincula S. P. noster in Regula XVII. indicat. Alius adhuc modus superest, propter quem bis dare censendus sit per intentionem. Notum est, quod, qui plura amat, hoc ipso minus amet, adeoque minus de corde dat alteri ; hinc S. Augustinus : « Minus te amat, qui aliquid præter te amat, quod propter te non amat. » Cum ergo, qui propter Deum dicto modo operatur, solum illum quærat, imo paratus sit mille mundos relinquere, vere dici potest, non bis, sed millies dedisse hic enim habet locum, quod præclare S. Gregorius advertit dicens : « Hæc in re, Fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit ; multum reliquit, qui, quantumlibet parum, totum deseruit. » S. GREGOR. hom. v. in *Evang.*

2. Bis dat propter ferventem operationem ; notum enim est, quod, quæ cum fervore et alacritate fiunt, multo perfectius fiunt ; hinc enim fervor dictus, quod, sicut aqua fervens se dilatat, et majus spatium occupat, ita et fervens homo majus spatium in perfectione operis. Id quod Aristoteles olim advertit, dicens : « Delectationem perficere operationem. » Et confirmat S. Pater, dum ait : « Ad quem virtutis gradum multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapidine diligens mirabiliter volat. » S. IGNAT. in *epist. de Perfect.*

Cum ergo, quanto major est alacritas et delectatio, tanto perfectior sit operatio; ipsa vero delectatio tanto major sit, quanto major est causa delectationis, facile apparet, quod perfecta sit futura operatio Religiosi, qui pure Deum querit, cum omnia illa motiva, quæ tantam in mundanis alacritatem causant perfectissimo modo ipse possideat. 3. Bis dat propter fructum, qui triplici ex capite major sperandus est ab hilari et fervente operario. 1. Quia Deus, qui liberalitate vinci se non patitur, dat majorem gratiam; ita S. Paulus indicavit, dum, postquam dixit, hilarem datorem diligi a Deo, mox subjunxit: « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum. » II Cor. IX.

Nimirum Christus est vitis, nos palmites, qui, quo magis per purissimam intentionem et amorem nos cum eo conjunxerimus, tanto majorem gratiam participabimus; sicque verificabitur, quod Joan. cap. XV. dixit: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. » JOAN. XV.

2. Quia habet majorem occasionem pluribus beneficiendis, sicut enim celo sereno se omnes committunt, ita et homini serenam faciem habenti; hinc de Christo dictum: « Specie tua et pulchritudine tua intende; prospere procede, et regna. PSAL. XLIV. Simili ergo modo operario dicitur. Tunc clamabunt: « Sonet vox tua in auribus nostris, vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » CANT. II, 14. Cum ergo, teste Salomone. « Qui dulcis est eloquio, commendatorem reddat doctrinam. » PROV. XVI. Et, ut idem dicit, *verbum dulce multiplicet amicos*, non dubitandum est, quod etiam ex hoc capite abundantior fructus sit sperandus. 3. Et potissimum propter feliciter exitum, cum enim talis pre aliis suam fiduciam ponat in Deo, et nihil aliud querat, quam beneplacitum Dei, vere potest usurpare illud Christi, Joan. VI. « Et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. » Si autem Christus simul cooperatur, quis non copiosum fructum speret, si in nomine illius conatum suum inchoet? An non dicere poterit: Quid facies magno nominis tuo? An non capiet fructum multitudinem magnam? Ita sane S. David indicavit dicens: « Beatus vir etc. sed in lege Domini voluntas ejus, et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus

aquarum, et fructum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur. » PSALM. I.

Unde merito hortatur Apostolus: « Unus quisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. » II Cor. IX, 7.

DUBIUM V.

De Liberalitate erga Deum.

Inter alia monita, quæ S. Ignatius in suis constitutionibus reliquit, non postremum erat, quod his verbis expressit: « Magnopere conferet devole, quoad fieri poterit, æ munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et devotio. Et in universum loquendo, quanto aliquis arctius se Deo astrinxerit, et liberaliorem se erga divinam Majestatem se præstiterit, tanto in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et bona spiritualia uberiora recipienda. « Hoc monuit cum legisset Philothea, valde excitabatur ad similem liberalitatem erga Deum ostendendam. Sed quia non cognoscebat satis, in quo consisteret hæc liberalitas, id ab Asceta sibi explicari petiit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, quod liberalitas hæc nihil aliud sit, quam virtus inclinans bona sua alteri, gratuito et prudeniter communicanda. Hinc quia amicorum omnia communia, hæc virtus proprie amicis convenit, et quo hæc amicitia major est, tanto major inclinatio ad liberalitatem. Communicatio autem hæc non quæcumque est, sed plena donatio, seu talis, per quam plenam alteri dispositionem relinquimus, ita ut non jam in nostram, sed illius, cui donavimus, utilitatem cedere velimus. Hinc facile patet, in quo liberalitas nostra consistat, scilicet in hoc, ut nos nostraque Deo penitus donemus; ut non jam nostram utilitatem et solatium, sed Dei gloriam et beneplacitum quaeramus, ut dicamus cum S. Paulo: « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. » GAL. II, 20.

Hinc est, quod ipse Deus a nobis maxime requirit, ut libellus de Imitatione in persona

Dei indicavit, dicens: « Quid magis a te requiro, quam ut te studeas mihi ex infegro resignare? Quidquid præter te ipsum das, nihil curo; quia non quero datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi, omnibus habitis, præter me; ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. » THOMAS KEMP. I. IV, c. VIII.

Porro ad hanc liberalitatem in nobis excitandam nihil magis conducet, quam liberalitas Dei erga nos præterita et futura serio ponderata, quam succincte et bene proposuit Ecclesia in Hymno Festi Corporis Christi sic canens: « Se nascens dedit socium, convalescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in premium. » Quis enim adeo duras est, quem tantæ consideratio liberalitatis non excitet ad se vicissim dandum. Disputant Ethnici, cur amor sit potissimum medium ad amorem? Et respondetur, quia amor est traditio sui. Unde cum amatus possideat amantem, injuste faciet, si non se quoque per amorem communicet. Id si verum est, uti dubitari non debet, quis jam non erubescat, se ipsum cum omnibus suis dare, quando cogitat, Deum toties se dedisse? An non exclamabimus cum S. Bernardo: « Amat immensitas, amat charitas, et nos vicem rependimus cum mensura. » Hortatur ergo Philothea Asceta, ut cum S. Ignatio dicat: « Suscipe, Domine, universam libertatem meam. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam. Quidquid habeo et possideo, mihi largitus es, id totum tibi restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quid ultra posco. »

DUBIUM VI.

De Deo super omnia diligendo.

Audiverat Philothea frequenter notum illud axioma: Dulcius ex ipso fonte potantur aquæ, idque sæpius ad Deum applicari intellexerat; sed in quo illa dulcedo proprie consistat, non satis cognoscebat; iterum ergo ad Ascetam pro hæc explicacione recurrit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, dulcedinem hanc in tribus consistere: 1. Quia sicut *parvus* in fonte

aquæ reperiuntur, eo quod non sicut rivi et fluvii per terram et lutum currentes sordes contrahant; ita bonitas purius in Deo gustatur, quia nullis ibi imperfectionibus permixta est, sed est ipsa puritas. Hinc S. Agnes dicebat: « Amo Christum, quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum. » 2. Quia sicut aqua recentius in fonte resumitur, eo quod, quo magis a contrario calore extrinseco libera est, hoc magis naturale frigus retinet; ita et Deus semper recens est, teste S. Paulo. « Ipsi peribunt, tu autem permanebis, idem ipse es. » HEBR. I; Id quod Deus S. Joanni per animalia non habentia requiem, id est, semper desiderantia ulterius gustare, indicavit. AROC. IV. Hinc S. Augustinus: « Si quæris, inquit, quære, sed non ubi quæris, quære. Quære in fonte, ibi enim omnia; vivunt. » S. AUG. in *Medit.*

3. Quia sicut plenius in fonte aquæ gustantur, eo quod quævis res se ipsam prius perficiat, quam alia; ita id vel maxime de Deo dicitur, qui ipse dixit Moysi: « Veni ostendam omne bonum tibi, » respectu cujus creature sunt tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, hinc semper clamandum amplius; Deus autem est mare immensum omnium bonorum, quod solum satiare potest cor humanum. Hinc recte S. Anselmus animam alloquens: « Quid vagaris, inquit, per multa quærens bona corporis et animi? Ama unum bonum, in quo est omne bonum, et sufficit. » Hinc S. Franciscus Seraphicus diu noctaque verba ista: « Deus meus et omnia! » ruminabat.

DUBIUM VII.

De Unionem cum Deo.

Legerat aliquando Philothea, B. Fratrem Ægidium verba ista: « Unus uni, » semper in ore et mente habuisse, quorum sensum cum non intellexeret ipsa, ab Asceta sibi illum indicari petiit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, eorum sensum esse, quod sicut Deus unus est, et omnia in se bona infinito modo continet; ita hominem quoque unum fieri, id est, per amorem soli Deo ad-

herere debere, juxta S. Davidis exemplum dicentis: « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum! » PSALM. LXXXII.

Hinc S. Ambrosius: « Unum, inquit, vult nos esse Deus, ut supra mundum simus; nam qui parititur studium, derivat affectum, et qui dividit curam, differt profectum. » S. AMBR. *ad Virg.*

Quod non ignorans Satan, ut hominem expugnet, amorem illius dividere satagit, sicut Cyrus Rex, ut Babylonem expugnaret, Euphratem fluvium, qui ipsis pro munimento erat, in multos rivis divisit.

DUBIUM VIII.

De Gustatione Dei.

Audierat frequenter Philothea notum illud axioma: « Gustato spiritu desipit omnis caro; » sed rationem hujus dicti penetrare satis non poterat. Quare rogat Ascetam, ut genuinum illius sensum et rationem indicare dignetur.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, cum ignoti nulla cupido sit, hoc ipso necessarium esse, ut cognoscatur bonitas ejusque rei, antequam desiderium illius concipiatur; cum autem nulla sit cognitio perfectior et efficacior ad trahendum animum, quam quæ gustu seu experientia ipsa percipitur, hinc sit, ut talis experimentalis cognitio præ aliis sit efficacior ad bonitatem aliquam sectandam. Cum ergo spirituales deliciae ex Dei amore (quo modo proprie gustatur) hausta innumeris partibus superent carnales, hoc ipso si veraciter illæ gustentur, omnes carnales delectationes desipient, id quod jam olim Apostoli experti sunt, ut qui gustata dulcedine divinitatis exclamare coacti sint: « Domine, bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula. » Sed et S. Augustinus post eandem degustatam exclamare coactus est, ut supra dictum est: « O quam suave subito mihi factum est, carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium jam erat; ejiciebas enim a me, tu vera et summa suavitatis, ejiciebas eas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior. » S. AUG. l. I, *Conf.* c. 1.

DUBIUM IX.

De Familiaritate cum Deo.

Legerat Philothea in libello de Imitatione Christi hæc verba? « Ex omnibus ergo charis sit Jesus solus dilectus specialis. » Lib. II, c. VIII. Cum autem ex altera parte meminisset, sæpius se dici audivisse, quod familiaritas contemptum pariat, ideo timet, ne, si talem familiaritatem cum Deo ineat, etiam ipsa contemptum pariat, atque adeo amorem imminuat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, breviter sequentem S. Augustini sententiam allegando: « Nihil delectabilius Deo; nam in homine sunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam; Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur a te, non invenies. » S. AUG. l. V, hom. XXXVIII.

Hinc quotidiana experientia testatur, quo magis homines familiariter cum Deo per orationem conversantur, hoc magis illos familiaritatem talem appetere.

DUBIUM X.

De Deo solo amando

Cum aliquando Philothea Psal. 32, et in eo verba ista: « Qui finxit sigillatim corda eorum, » legisset, intelligere non poterat, quid verbum *sigillatim* significaret; quod dubium cum proposuisset, more suo,

SOLUTIO.

Respondet Asceta per hoc verbum indicari, quod Deus cum speciali consideratione cor creaverit, ut indicaret, cur et quomodo cor nostrum ipsum solum amare debeat. Nimirum 1. Triangulare esse factum, ut inneret, quam parum vas triangulare a rotundo globo repleri potest, tam parum cor triangulare hominis a toto mundo rotundo satiari posse; capere enim Dei, quicquid Deo minus est, repleri non potest. Unde S. Au-

gust. dicebat: « Feecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » S. AUG. l. I *Conf.*

2. Supra latum et apertum esse creatum, ut indicetur ad coelestia bona et gaudia semper patulum et amplum esse debere, dicereque cum pio Asceta: Ecce Deus mens, et omnia. Quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum? O sapidum et dulcem verbum, sed amanti verbum non mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Deus meus et omnia Intelligenti, satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est amanti. Te siquidem presente jucunda sunt omnia; te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, et pacem magnam, letitiamque festivam. Lib. I *de Im.* c. XXXIV.

3. Infra acuminatum et clausum esse, ut indicetur, terrena non nisi modice, et quasi in puncto esse tangenda et usurpanda, id est, solum, quantum necessitas, aut utilitas ad finem præfixum obtinendum requirit, ut quoniam parum pro nihilo computatur, quasi non uti mundo censi valeamus, sicque consilium Apostoli impleamus dicentis: Reliquum est, ut qui utantur hoc mundo, tamquam non utantur. I Cor. VII, v. 31.

DUBIUM XI.

De Compensatione amoris divini.

Cum legisset aliquando Philothea amorem non nisi amore compensari, dubitabat non parum de veritate hujus sententiae, eo quod passim aliis etiam modis amorem compensari advertit. Ad quod dubium eximendum,

SOLUTIO.

Respondet Asceta, et sic probat dictum axioma: Quia juxta Jureconsultos compensatio non nisi per retributionem æqualis fieri solet; sed amoris nihil est par et æquale, nisi amor, maxime apud Deum, qui amorem suum omnia sua dando demonstravit, et non nostra, sed nos ipsos possidere cupit. Neque nos aliter vere possidet, quam dato corde, et amore nostro; nec illi aliud quidquam æquale reddideris, nisi te totum sic plane possideat, ut nihil cordis et affectus supersit, quin ad eum amandum plane profunderis. Quia quod æqualitatem facit (si

quæ est æqualitas) non est rei datæ substantia, non ejus qualitas, aut quantitas, sed tota, et integra nostri donatio. Unde sicut æqualitas dicitur perfici, quando totum donatur; sic nisi detur, quidquid dederis, nihil æquale datur. Totum est dandum, in quo uno toto tota est æqualitas, et sine quo nulla. Sic apte S. Bernardus: « Ipse, inquit, meritum, ipse sibi premium est amor. Præter se non requirit causam, non fructum; fructus ejus, usus ejus. Amo quia amo; amo, ut amem. Magna res amor, si tamen recurrat ad suum principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex uno sumat, unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Auctori, saltem de simili mutuum rependere vicem. » S. BERN. ser. LXXXIII, in *Cant.*

DUBIUM XII.

Quod omnis copia, quæ Deus non est, egestas sit.

Audierat aliquando citari Philothea sententiam a S. Augustino prolata, quæ dicebat: « Omnis copia, quæ Deus non est, egestas est mihi, » S. AUG. l. X, *Conf.* c. XIII, quam cum salis assequi non posset, eo quod plurimos etiam amantes Deum divitiis abundare cernebat, clarius id sibi explicari ab Asceta petiit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, et veritatem dictæ sententiae ostendit: Quæcumque tandem sit rerum humanarum copia et abundantia, si possessori suo nihil prodest in summa ipsius necessitate, profecto non nisi egestas, et inopia censenda est; ut si quis abundet rebus, quæ nullum proorsus habent usum in ea mundi parte, ubi vitam agit, nonne hæc rerum abundantia tunc erit illi inutilis, et mera inopia? Si alius abundet prædiis, nec ullum inde proventum, nullam pecuniam, nec ullum denique reditum recipiat, quæ se sustentare possit, nonne illa prædiorum copia egestas est? Abundet alius pecuniis, nec panem, aut ullum alimentum sibi comparare possit, ut accidit in obsessa civitate, nonne illam pecuniarum copiam tunc me-

ram inopiam et egestatem dixeris? Abundet denique panibus et alimentis, morbo autem vel captivitate ita detineatur, ut cibo uti nullo queat, sicut fame intereat, nonne tunc inopiam reputabis quamlibet copiam? Quid mihi divitiarum, inquit Poeta, si non conceditur usus? Sic noster Sapiens: « Quid prodest stulto habere divitiarum, cum sapientiam emere non possit? Sap. c. v. Quia scilicet ad hunc effectum nihil prosunt divitiarum, vel potius quasi diceret, nihil prosunt stulto divitiarum, cum iis uti non possit stultus, nec iis se stultitia liberare; atqui talis est copia, quæ Deus non est, id est, quidquid sit, quod habeas, nisi habeas illam divinam gratiam, per quam Deus nobiscum habitat, et nos cum illo; » per quam filii Dei sumus, et hæredes ejus, coheredes autem Christi. » Rom. VIII.

Nisi habeas virtutes et opera, quæ sunt necessaria ad gratiam illam conservandam, illamque hereditatem aliquando consequendam, nihil habes, quod tibi prosit in tua summa necessitate; nam hæc est tua summa necessitas, salvum et beatum esse, cui necessitati nihil prosunt divitiarum, nisi fuerint fructuose propter Deum impense. Nihil prosunt dignitates, nihil doctrina, nihil artes, nihil auctoritas, nihil denique aliud, quam quod spirituale est et divinum. « Quid nobis, inquit, proffit superbia? Aut divitiarum jaectantia quid contulit nobis? Transierunt illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, et tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius; sic et nos nati continuo desinimus esse, et virtutis quidem nullum signum valimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt, quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Iusti autem in perpetuum vivunt, et apud Dominum est merces eorum. » Sap. v. 8.

Omnis ergo copia, quæ Deus non est, egestas censenda est.

DUBIUM XIII.

De Sermocinatione Dei cum simplicibus.

Legerat aliquando Philothea versum illum Salomonis: « Cum simplicibus sermocinatio ejus, » Prov. III, magnamque inde lætitiā conceperat; sed pro majore solatio suo etiam causam hujus familiarioris conversationis intelligere cupiebat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, causam esse, quod iis se libentius Deus communicet, qui se illi totos subjiciunt; hoc autem faciunt simplices, qui intellectu et voluntate se illi subjiciunt; in hoc enim proprie consistit simplicitas animi, ut, sicut parvulus, non reluctetur, non repugnet, simpliciter credat, et facit, quod cognoverit a Domino revelatum, et ordinatum. « Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, ait Moyses, nec addas quidquam nec minus. » Deut. Xii.

Hoc vere est esse simplicem; atque hinc dicitur in Proverbiis: « Abominabile Domino cor pravam, et voluntas ejus iis, qui simpliciter ambulant; » quia hi scilicet sese illi subjiciunt. Hoc diserte S. Joannes Chrysostomus allata similitudine parvulorum ostendit: « Etiam, inquit, Regina cum diademate atque purpura parvulis offeratur, non preponunt eam matri, licet panno; » sic se simplices divine fidei et providentiæ totos addicunt, ut, licet humilia et abjecta proponantur ad credendum, vel faciendum, iis potius acquiescant, quam quæ mundus faciat et offert: « Gloria nostra hæc est, inquit Apostolus, testimonium conscientie nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. » Rom. LXIII, in *Matth.*

Patet, ergo, quod cum simplicibus sit communicatio ejus, id est, communicatio familiaris de divinis mysteriis, aut quibuscumque rebus spectantibus ad salutem et perfectionem. « Deo enim sermocinari est, inquit S. Gregorius, per illustrationem suæ præsentie, humanis mentibus arcana revelare; cum simplicibus igitur sermocinari di-

citur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitationis obscurat. » II Cor. I.

Et S. Hieronymus: « Sermocinatio, inquit, Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitationis nihil habere considerat; hinc etenim dicit: Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis. » *Matth. XI.*

DUBIUM XIV.

De Deo super omnia amando.

Alias pauca hæc ejusdem auctoris verba legerat: « Sicut a Deo, sic ad Deum; » quorum obscuritatem, et breviter cum non satis intelligeret, ideoque clariorem explanationem expeteret,

SOLUTIO.

Respondit Asceta, sensum esse, quod sicut a Deo creati sumus, sic nos ad eum, nostraque omnia referamus, tanta est necessitas unius atque alterius. Differentia quidem est necessitatis, quandoquidem illa est physica, et extra nos posita, quæ sumus a Deo; altera vero, quæ nos ad eum referamus, est moralis, et a nobis cum divina dependens gratia; sed tamen hæc tam una, tantaque est necessitas, ut vere dici possit, quod sicut necessario sumus a Deo, sic necessarium sit, ut nos ad eum referamus. Liberum quidem nobis est, ut id actu fiat cum gratia; sed ne desimus gratiæ, nostroque debito, persuadeamur, oportet, id esse nobis tam necessarium, quam si non esset liberum; neque enim libertas talis nos a debitis nostris magis exolvit, quam a cæteris omnibus Christianæ justitiæ tum positivis, tum negativis officiis, ad quæ præstanda similiter liberi sumus. Sed quo sensu liberi? Nempe ut possumus nolle, aut velle cum gratia; si autem volumus, libere ac voluntarie id velimus, quod debemus, atque hoc ipsum, quod debemus, ac volumus, semper exequamur, non necessario, sicut animantes belluæ, non coacte sicut serviles animæ. Quo in sensu dixit etiam Apostolus, *legem justo non esse positam*; id est, non coerceri justos legibus, quia ultro illi, et sponte observant legem;

sunt enim in qualibet lege tria consideranda, nempe obligare, dirigere et coercere, sive punire. Duo priora lex in justos exercet, tertium vero in injustos, qui se duobus primis non subjiciunt. Hoc ipso itaque, quo agnoscis Deum esse finem tuum, tanta necessitate, tanto jure, tantaque teneris obligatione, te ad illum totum referre, quanta est ipsa quodammodo necessitas, quæ Deus est finis tuus.

DE DUBIIS MISCELLANEIS.

DUBIUM I.

De Patrocinii B. Virginis efficacia.

Legerat aliquando Philothea ex SS. Patribus: « Sicut a te. (O B. Dei Mater) aversus et despectus, necesse ut perat; sic ad te conversus et a te respectus, impossibile est, ut perat; » quæ sententia merito illi difficilis capta videbatur, eo quod peccatores ea abuti in vana perniciem possent, quare explicari sibi illam cupit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, eam de morali, non physica impossibilitate intelligendum esse, quo in sensu veram esse sententiam colligitur. Ex sententia Salomonis, quæ ipsi attribuitur: « Qui me invenerit, invenit vitam, et hauriet salutem a Domino. » Prov. VIII. Et iterum: « In me gratia omnis viæ, et veritatis, in me spes vitæ et virtutis. » Eccl. XXIV.

2. Colligitur ex SS. Patribus, ex quibus S. Anselmus ait: « Velocior est ibnumquam salus memorato nomine ejus, quam invocato nomine D. Jesu; non quod ipsa major et potentior sit, nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo? Dicam quod sentio: Filius Dominus est, et Juxta omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit. Invocato autem nomine Matris, et si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. *De Ex. VII. c. VI.*